

11/79

IDIBVS NOVEMBRI  
MCMLXXIX



RVMOR VARI



# RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE  
LATINA TVRICENSI in ae-  
ribus AKADIS editur.

RVMOR VARIVS duodecies in  
singulos annos editur.

Editio: CCCXXI

Pretium subnotationis:  
(annum)

In Helvetia	Fr. 8.80
In Germania	DM 11.--
In Austria	ÖS 90.--
In ceteris Eu- ropae terris	Fr. 13.--
In terris trans maria sitis	Fr. 18.--

Singula specimina, qui  
rogaverit, gratis accipiet

Collegium redactorum:

Ulricus Aeschlimannus  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Patrick Hardmeier  
Martinus Meier

Impressum et dispositionem  
rerum legentibus publicanda-  
rum curat:

Franciscus Bachmannus

Typographum:

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda  
sunt ad domum editoriam:  
RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:  
Schweizerische Bankgesell-  
schaft  
RVMOR VARIVS 806.134. J 1 A

RVMOR VARIVS wird von der  
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS  
UNTER DEM Patronat der AKAD  
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 12 Mal  
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreise:  
(jährlich)

Schweiz	Fr. 8.80
Deutschland	DM 11.--
Oesterreich	ÖS 90.--
Übriges Europa	Fr. 13.--
Ueberses	Fr. 18.--

Einzelne Probenummern können  
gratis bezogen werden

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann  
Dr. Emanuel Bernard  
Dr. Jürg Bleiker  
Patrick Hardmeier  
Martin Meier

Graphik und Layout:

Franz Bachmann

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse  
(Briefe, Korrespondenz):  
RVMOR VARIVS  
Postfach 883  
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen:  
Schweizerische Bankgesellschaft  
RVMOR VARIVS 806.134 J 1 A

# PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus salutem  
dicit! Hodie vobis pauca scribam, quae omnes,  
qui "RVMORI VARIO" epistulas Latine scriptas  
mittere velint, sciant: Numerus eorum, cari ami-  
ci, qui epistulis nobis mittendis facere velint,  
ut libellus noster vivat, floreat, crescat, sem-  
per augetur! Non dubito hanc rem nobis redacto-  
ribus non minus gaudio esse quam vobis. Ne tem-  
pus, quo epistulae vestrae nobis missae in "RV-  
MORE VARIO" publicari possint, nimis diu absit,  
semper faciatis, ut eae decimo die illius men-  
sis, quo mense eas publicatas esse velitis, ad  
correctorem ratarum partium nostrum Dr. Jürg  
Bleiker perveniant. Epistulae vestrae porro sem-  
per ita inscriptae sint: Dr. Jürg Bleiker, c/o  
RVMOR VARIVS, Bergstrasse 22, 8353 Elgg. Ceterum  
ne obliviscamini etiam nomen vestrum domicilium-  
que involucro adiungere! Si haec consilia satis  
in pectus animumque vestrum demiseritis, epistu-  
las vestras semper tempore a vobis desiderato in  
"RVMORE VARIO" publicatas invenietis.  
Dies hoc mense Novembri iam breves, horae vespe-  
ri autem longae sunt; advenit tempus ad epistulas  
scribendas maxime idoneum! Quam ob rem spero vos  
nobis his diebus frigidis brevibusque saepius ra-  
tas partes manu vestra scriptas missuros esse!  
Ita "RVMOREM VARIVM" nostrum libellum amatum non  
modo ratis partibus vestris locupletiolem, sed  
etiam haec maesta nebulosaque tempora hiemis le-  
gentibus breviora efficietis. Sit hic mensis No-  
vember felix omnibus!

Valete!

Ulricus Aeschlimann redactor

# CATALEPTON

Magister ille, quem videtis, hospites,  
ait studentium fuisse pessimus,  
neque ullius bibentis impetum siti  
nequisse praeterire, sive heminam  
opus foret vorare sive dolium.

Et hoc negat minacis matrimonii  
domum negare, pupulasve gaudii,  
scholamque nobilem infimosque milites,  
ubi iste post magister antea fuit  
et impudicus et vorax et aleo.

Taberna frigida et lupanar aestuas,  
tibi haec fuisse et esse cognitissima,  
ait magister; ultima ex origine  
tuis stetit dicit in cubilibus,  
tuo imbuisse lectuloque mentulam.  
Et inde tot per inhonesta gaudia  
merum bibisse, laeva sive dextera  
petiret aera basians adultera.

Sed haec prius fuere, nunc in cathedra  
sedet magister seque dedicat tibi,  
iugalis uxor uxorisque servitus.

Thomas Clarodurus  
*Reinhard*

# IAMDUDUM ELAPSA ET MEMORATU VIX DIGNA NARRANTUR

Narro tamen, cum sit aliquid narrandum neque habeam,  
quod sit dignius memoratu, vosque, cari legentes,  
nugas meas, amabo, indulgete mihi! Peto veniam et  
incipiam:

Oppidum est in terra Rhaetorum neque est quodlibet  
oppidum, sed caput Rhaetiae meusque natalis locus,  
ubi pueritiam et adolescentiam peregi. Ad locum hoc  
satis est; nunc aliqua, quae contigerunt mihi, quam-  
vis sint levia, audite!

Per biennium gymnasium frequentavi, non diutius, ut  
aperte loquar, discipulus dissolutus et nequam, om-  
nibus rebus libentius quam litteris studens et ma-  
gistros ludibrio habens adeo, ut princeps magistro-  
rum tandem impatiens mei patri meo suaderet, ut po-  
tius de schola me amoveret artemque sordidam fabri  
discere iuberet. Quo consilio pater laetabatur,  
quippe qui ipse artem fabri exerceret studiaque om-  
nia litterarum abnueret. - Heu, me tum miserum! Sep-  
tendecim annos natus scholam relinquere coactus tiro  
factus sum in fornacibus aedificandis. (Quae ars  
aptis verbis Latine dici non potest, quia ignota  
erat Romanis nostra "Zentralheizung") Qua in arte  
exercenda triennium consumpsi, minima quidem cum vo-  
luptate mea. Opera cotidiana et dura, cum ab septima  
hora matutina usque ad sextam vesperi, una hora me-  
ridie intermissa, laborandum esset, saluberrima cer-  
to erat et haud inutilis ad corpus exercendum. At-  
tamen magnopere animum meum premebat, cum iam non  
mihi in grege alumnorum gymnasii versari, non iam  
familiaritate et iocis condiscipulorum uti liceret.  
Plane infelicem autem me reddidit, quod sordida ve-  
ste fabri indutus cotidie paene per vias obviam fie-  
bam alumnis gymnasii decora veste pileoque caeruleo  
indutis, qui clementer et polite me salutarent, sub-  
ridentes et misericordiam mei vix celantes. Facilius  
fortasse tulissem, si aperte me irrisissent. Nihil

enim est peius quam aspectus hominum, cum misericordiam nostri celare student. Hodie me confiteor abhorrere ab illa mea mente stulta et immatura. Aliter nunc senex iudico atque tum iuvenis. Nullos homines honore digniores censeo esse quam manibus victum quaeritantes.

Aliquando multa hieme in nobilissimo urbis deversorio festum geniale agebatur magna cum celebritate filiorum et filiarum, imprimis gymnasium frequentantium, qui orti erant e divitissimis et potentissimis domibus. Ego tamen nihil impedire putans, quin illorum festo immiscerer, magnopere laetabar prospectu. Perincommode autem accidit, quod illo ipso die frigus receperam febris laborans. Nihilominus ad festum me parabam multumque temporis consumpsi in lavando, barbam resecando, siccando mantēle guttas sanguinis, quae ex vulneribus cultro factis per genas et mentum cadebant, supercilia colore nigro tingendo, capillos diligenter pectendo, vestiendo quam elegantissime. Tandem aliquando exornatus et comptus, crumēnā argento repletā, ad festum me contuli. Vix intravi vestibulum, cum praefectus deversorii duris in me verbis invehitur clamans: "Quid tibi hic? Quis te vocavit? Abi! Huc non cuilibet est aditus. Nulli nisi alumni gymnasii admittuntur. Fac abeas! - Attonitus, voce privatus constiti, ambiguus, quid agerem, manerem an abirem, iamque abiturus eram, cum filia praefecti me conspicit, laeto vultu accurrit magna voce salutans et invitans, ut intrarem exedram secum saltaturus. Quam commutationem rerum! Nunc praefecti erat stupescere. At non diu stupuit, sed cito mirum in modum mutata mente: "Cum res ita sint, inquit, mane! Namque est dies natalis festus hodie filiae meae. Eius voluntas fiat!" Ita, re iam paene desperata, factum est, ut festo interesset totamque noctem cum puellis saltarem, praecipue cum filia praefecti, quae aequae bonae saltatrix erat atque ego bonus saltator. Nolite, quaeso, moleste ferre, cari legentes, quod tam insolenter arte mea saltandi glorier! Et re vera saltando excellebam temporibus illis, cum modi et genera saltandi ab hodiernis differebant multum, symphoniacis tamen canentibus in modum nostro similem nervis, tibiis vocibusque. Mehercule! Quantā elegantiam saltavimus illa nocte, Venere propitia, vino numerisque musicae incensi! Prope miraculum autem fuisse puto, quod sub lucem, cum plurimi iam domum suam abierant, magis magisque bonam receperam salutem frigore febrique liberatus. Haud mentior dicens me

plane restitutum domum revertisse cubitum. Nonne vobis quoque hoc videtur mirandum? Mihi certe nihil esse ad convalescendum e frigore utilius quam saltationem musica, Venere, vino iuvantibus, ex illo tempore et festo est persuasum.

PS: Princeps ille magistrorum, qui patri meo suaserat, ut de schola me amoveret, quia numquam linguam Latinam discerem, falso iudicavit. Nam multis annis post sine magistro et gymnasio examen subii "maturitatis" et obtinui censuram optimam, numero VI expressam, quod factum solacio sit illis, qui adhuc sint Latino sermone debiles! Quis autem magistrorum iudicia semper certa putarit esse?

Dr. Emanuel Bernard

## NOVVS REDACTOR DE SE NARRAT

Cari amici RVMORIS VARIO,

ut in libello mense Octobri edito legere potuistis, redactorum collegium me novum collaboratorem creavit. Nescio, quam ob rem honorem hunc maximum meruerim. An versuli mei contra omnes metricae artis leges compositi tantopere placuerunt? Sed ne diutius meditemur de discrimine alti illius collegii! Qualis autem sit novus redactor, quid agat eo tempore, quo non RVMORI VARIO operam dat, quaeque futuris temporibus in nostro libello scripturus sit, nunc accipiatis: natus sum eodem anno, quo Sovietici primi homines satellitem artificum in spatium miserunt, anno enim MCMLVII. p. Chr. n. vel MMDCIX. a.u.c. Ut Lucernensi origine et catholica fide, ita Bernensi lingua, habitu et celeritate sum. Bernam, quam urbem non modo Helvetiae, sed etiam totius orbis terrarum pulcherrimam iudico, adhuc numquam nisi feriis relinquebam. Qua sum natus, qua gymnasium pererrans linguam coepi amare Latinam, qua nunc ipse magister factus discipulos in eiusdem pulchritudines introducere conor. Praeter scholam etiam universitatem visito, alteram, ut doceam, alteram, ut docear.

# Aenigma

In rebus politicis conservare revolvendo praestare existimans adversarius sum illorum hominum, qui vetera falsa arbitantes omnia salutem quaerunt in disciplinis et divina et humana violantibus iura. Itaque a me, cari lectores, non modo carmina Mattheiana aliaque eiusdem generis linguae Latinae adaptata expectate, sed etiam commentarios de rebus seu rem publicam seu humanam societatem tangentibus compositos. Non sine studio et ira scribam, sed meas legetis opiniones. Quae utinam vos ita sollicitent, ut ipsi stilo manibus capto aut consentiatis aut acerrimis (sed Latinis!) verbis me vituperetis. Quam plurimae epistulae RVMORI VARIO missae mihi gaudio maximo erunt, quia, ut iam saepe pronuntiabat Ulricus Aeschlimannus, modo florere potest libellus noster, si et vos ad florendum contribuitis. Spero vos me contentos fore!

Valituros vos omnes esse cupit novus redactor

Martinus Meier.

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA KALENDIS DECEMBRIBVS MCMLXXIX EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium: LIBER  
 secundum praemium: LIBER PARVVS  
 tertium praemium: LIBER PARVVS

ad libram:

1. veneror
2. vini impletus es (conf. Plautum)
3. deus belli Graecorum
4. semel, bis, ..., quater
5. furor
6. amphibium
7. extra (contrarium)
8. cum primum
9. caput Persarum
10. tamen
11. causam
12. animalia volandi perita
13. pulchritudo
14. pronomen possessivum
15. valide
16. negatio
17. tam multa

ad perpendicularum:

1. ars... (Ovidius scripsit)
9. ferocius
10. America ... mare sita est
18. praebere
19. PROVERBIUM IMPERATORIS ROMANI (solutio RVMORI VARIO mittenda est)
20. tua ... agitur
21. rictus
22. is, ..., id
23. non frequens
24. particula interrogativa
25. non dulcis (dat.)
26. sopore
27. esse (participium praesens; confer Caesarem)
28. coniunctio



1	18	19	20	21
2				
3				
4				22
		5	23	
6	24			
7				25
		8		
	9			
10				
11				
12			26	
13				
14				
	15			27
28		16		
17				

Dornach, a.d. VI. Kal.Dec. a.c.

Maximilianus lector RVMORI VARIO salutem dicit!

Bis iam redactoribus tuis gratias egi, quod pretiosos mihi libros hoc anno miserunt. Quid tandem primo praemio tertium mihi attributo nunc dicam? Tertiam scribo epistulam inertibus verbis maximas exprimens gratias nec non timens ne altius sublatum profundius fortuna deiciat! Profecto me aenigmatibus solvendis magno affici gaudio iterum affirmo; quare facere non possum, quin et hanc solutionem mittam litteris adiunctam.

Vale! Maximilianus Müller

SOLVTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Frau  
M.E. Wettstein  
Alte Landstrasse 114  
8702 ZOLLIKON

secundum praemium:

Herr  
Bernhard Christen  
Solothurnstrasse 21  
3322 SCHOENBUEHL

tertium praemium:

Fräulein  
Elisabeth Schädeli  
Jubiläumstrasse 15  
3005 BERN

1	D	2	I	3	S	4	S	5	O	6	L	7	U	8	B	9	I	10	L	11	I	12	S	
8	E	N	U	C	L	E	A	T	U	S													U	
9	C	O	S			10	I	N				11	N	U		12	N						C	
	E			13	E	V	A	14	S	T	O			15	A								C	
	M		16	A	R	A			U								17						T	U
18	B	O	N	U	M					19	R	N			20	S	I							T
21	E	H		C			22	O	D	O	R	A	V	I										
23	R	E	P	A	S	T	I	N	A	T	I	O												

# DE LEGIBVS XII TABVLARVM

Quis nostrum ignorat leges XII tabularum ius primum scriptum populi Romani et "fontem omnis publici privatique iuris" ut Livius dicit? Has XII tabulas singillatim in libellis subsequentibus RVMORIS VARIII vobis ostendere velim! Hodie autem mihi liceat in hoc libello introductionem brevem proponere.

I.

Qua de causa populus Romanus constituit leges XII tabularum?

Regibus Etruscis pulsus inter viros patricios et plebem discordia orta est. Plebs enim a patriciis maxime subacta erat et patricii ipsi soli ius reddebant...arbitria sua sequentes sine iure scripto.

Eo modo iniustitia gravis orta est. Quam ob rem plebs CDXCIV ante Christum natum in montem sacrum emigravit. Secessio a Menenio Agrippa placata tribuni plebis creati sunt. Hi viri leges scriptas vehementer poposcerunt. Tandem senatus assensus est.

Quomodo leges XII tabularum collatae fixaeque sunt a Livio historiarum scriptore audite!

Livius 3, 31, 8:

Cum de legibus conveniret, de latore tantum discreparet, missi legati Athenas Sp. Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus iussique inclitas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatum instituta mores iuraque noscere.

Livius 3, 32, 6:

Iam redierant legati cum Atticis legibus, et intentius instabant tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret.

Livius 3, 34, 1, 2:

Tum legibus condendis opera dabatur; ingenti-que hominum expectatione propositis X tabulis populum ad contionem advocaverunt et, quod bonum faustum felixque reipublicae ipsis liberisque eorum esset, ire et legere propositas iussere.

Livius 3, 34, 6-7:

Cum ad rumores hominum de unoquoque legum capite editos satis correctae viderentur, centuriatis comitiis X tabularum leges perlatas sunt, quae nunc quoque in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fons omnis publici privati-que est iuris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas, quibus adiectis absolvi posse velut corpus omnis Romani iuris, ea expectatio...desiderium Xvirorum iterum creandi fecit.

Livius 3, 37, 4:

Jam et processerat pars maior anni et duae tabulae legum ad prioris anni X tabulas erant adiectae.

Decem tabulae scriptae sunt anno ante Christum natum LDI, duae tabulae a. Chr. n. LD. Roma a Gallis expugnata incendioque deleta CCCLXXXVIII. XII tabulae rescriptae sunt. Quousque XII tabulas in foro Romano legi potuisse nescimus, sed scimus Ciceronem eas edidicisse.

II.

Leges XII tabularum -incredibile dictu- magno labore reconstructae sunt! Illae leges tantae auctoritatis erant, ut scriptores velut Cicero, Festus, Gellius, Plinius maior et ceteri fragmenta earum citare solerent.

Imprimis in libris iurisprudentium invenimus verba allata. Gaius anno CLX p. Chr. n. etiam commentarium VI librorum scripsit, quo leges XII tabularum interpretatus est. Libri Gaii reperti sunt anno MCMXXXIII post Christum natum. Eo modo magna pars legum XII tabularum recomposita est. Tamen saepe dubitamus vel nescimus, cuius tabulae sit sententia singula.

III.

Leges XII tabularum scriptae sunt lingua Latina antiquissima, quae a lingua, qua utimur, saepius maxime differt. Exempli gratia vobis sententiam I tabulae I propono:

SI IN IVS VOCAT, ITO.

Quis quem IN IVS VOCAT? Quis ITO? Respondere perdifficile non est! Memoriae nostrae revocemus populum Romanum pancorum verborum fuisse. Imprimis temporibus antiquis verba, quae sermone non dici solebant, non scribebantur.

Itaque ex contextu coniecturas facere et verba non scripta addere debemus. Suppleamus ergo sententiam supra stantem:

SI (actor accusatum) IN IVS VOCAT, (accusatus) ITO.

Saepe invenimus verba linguae Latinae, quae discimus nondum nota esse, velut ARCERA. Viri doctissimi e contextu reperire potuerunt, ARCERAM fuisse, quod hodie appellarem "lecticam". Invenimus etiam declinationes coniugationesque antiquas:

EM = eum

DUIT= dedit vel det

Videtis leges XII tabularum nobis non solum "fontem omnis civilis privati-que iuris" esse, sed etiam fontem etymologiae linguae Latinae! Haud dubito has leges XII tabularum, de quibus etiam in libellis subsequentibus RVMORIS VARIIS vobis a me narrabitur gaudio futuras esse!

PATRICIVS HARDMEIER

# Ihre Bank: Bankgesellschaft



Schweizerische Bankgesellschaft



SVBNOTO RVMOREM VARIVM:  
(ich bestelle RVMOR VARIVS)

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

SVBNOTO RVMOREM VARIVM  
DONVM DATVM ALICVI  
Factura subnotationis mit-  
tenda est ad adressam supra  
stantem.  
(ich bestelle RVMOR VARIVS für  
mit Rechnung an:

\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_  
\_\_\_\_\_

RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH- 8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE  
ET CHARTAM MITTE!

DOMICILIVM MEVM:



RVMOR VARIVS  
Postfach 883

CH- 8050 Zürich



AZ

8050 Zürich

11/79

IDIBVS NOVEMBRIBVS  
MCMLXXIX



RVMOR VARI

